quæ minus bene ibidem conuerit dirimendis sedulo incumbere infidelium etiam insulis a catholicorum ceruicibus terra, mariq; propulsare, ac cum viriu contentione non cessant, eumdeniq; omnia, quæ ad Xpianæ religionis in illas regiones introductionem, et ad eiusdem iam introductæ in iisdem regionibus conseruationem, et propagationem spectant religiose, fortiq; animo suscipere non dubitant. Tuo itaq; iis de rebus copioso, prudentiq; sermone audito, et summag Virorum qui in eisdem insulis, dignitate, et aucte præstant, eisdem de rebus literis supplicibus libellis, atq; subscriptionibus viris, pro ardenti, qua Xpi gloriæ, animarumq; Salutis causa flagamus charitate, magna sane in Dno lætitia perfusi sumus. Ex eisdem .n. sermonibus tuis, et ex iisdem literis libellis, ac subscriptionibus, quas nobis exhibuisti non solum spuales illarum regionum progressus, sed tuam præstantem in Romanam ecclesiam fidem, atq; in Xpianæ religionis propagationem Zelum et in laboribus perferendis aiu constantiam plane cognouimus, quibus nimirum earumdem insularum indigenis, atq; incolis grauissimis, quibusq; in negotiis eorum causa multis in Regnis susceptis, obitisq; legationibus, magno cum eorum emolumento operam impendisti, præsertim apud Sinas, vbi in carcerem, ac vincula coniectus fuisti, aliisq; in locis Ethnicorum, quæ partim ad orientales indias partim ad occidentales pertinent, tu siquidem omnia quæ ad Xpianam religionem, ibidem constituendam antea piè incboata fuerunt, tua singulari vigilantia atq; industria, ad optatum finem a deo feliciter perduxisti, vt non immerito tam Epus et Clerus, quam Gubernator Senatus, ac Magistratus, Nobiles, atq; vniuersus populus earumdem insularum præstanti ista tua pietate, et ad res magnas perficiendas virtute moti, ac prospero etiam rerum a te gestarum exitu adducti comuni omnium consensu publicoq; nomine longe maioribus de causis te ac charissimum in Xpo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, et ad nos atq; ad sedem aplicam nuper destinandum duxerint. Quibus in negotiis siquæ ad comunem tam istarum insularum, quam ceterarum earundem partium Regionum vtilitatem pertestabilita fuerunt cum laboribus atq; rerum causa a te susceptis conferantur, iidem profecto labores rebus ipsis obtentis, et numero omnino pares, et magnitudine plane æquales esse, ac certe magna inita proportione; valde inter se conuenire videbuntur. Fluxis igitur et temporalibus præmiis, quæ animus tuus ad cœlestia aspirans merito aspernatur hoc tpe omissis, tuis precibus iis in rebus quibus animarum salus maxime procuratur, quantum cum Dno possumus satisfacere cupientes præter gratias, concessiones, et indulta, a fel. rec. Sixto V. et Gregorio XIIII. Rom. Pont. prædecess. nris obtenta, tibi permittimus, vt in æs, aut in quodcumq; aliud metalli genus incidi facere possis Cruces, seu Numismata Xpi Saluatoris nri aut Mariæ Virginis, vel S. Michaelis Archangeli aut Apostolorum Petri, et Pauli, aliorumve Sanctorum, aut denique piæ alicuius rei figuram, ab vna parte, ab alia vero Rom. Pont. Xpi interris Vicarii imaginem, aut saltem alicuius Pontificii insignis speciem referentia, quibus nimirum Insularum Philippinarum, ac Indiarum indigenæ atq; incolæ, præsertim vero nobiles quorum fauor, ad Xpi gloriam, animarumq; salutem propagandam adiumento esse potest, nec non alie quæcumq; Vtriusq; sexus personæ in Europa existentes, quæ tibi, aut iis, quibus tu idem concesseris eligendæ videbuntur, a te insigniri, atq; donari possint. Mandamus vero, et iniungimus tibi, atq; iis a quibus Cruces, et Numismata supradicta, necnon grana, agnos Dei, et quascumq; alias res a nobis benedictas, donari, aut distribui contigerit, vt iis quibus ea donata et distributa fuerint, ante omnia paterna charitas, et beneuolentia nra, qua ad huiusmodi dona, ad eos transmittenda imprimis adducti sumus, diligenter significetur, nec non vt gratiæ spuales per nos concessæ inferius recensendæ eisdem sigillatim narrentur, atq; explicentur. Vt autem difficultatibus quas in itinere, et nauigatione inuectio supradictarum Crucium, et Numismatum, nec non Granorum, Agnorum Dei, aliarumq; huiusmodi rerum asportatio plerumq; insequitur quantum possumus, occurramus, tibi; atq; a te designatis Viris ac præsentim ipsi protpe Societatis Jesu in Philippinis insulis Illmo et superiori, seu Prouinciali dictarum rerum numerum necessarium, vbi et quum opportunum fuerit, statuendi, eligendi, et supplendi per præsentes facultatem concedimus et impertimur. Nos vero, tum Crucibus et Numismatibus, nec non Imaginibus, Granis, Agnis Dei, Reliquiis aliisq; rebus, quas hinc transtuleris, quam iis quas vt præfertur statuendas, eligendas, aut supplendas duxeris cuiuscumq; materiæ, formæ, qualitatis, magnitudinis, et etiam quantitatis fuerint, nram et Aplicam benedictionem impertimur, ac tibi et personis a te designandis licentiam, eadem omnia transferendi, eligendi, supplendi, ac donandi ecclesiis, templis, capellis, atq; Indiarum, et Europæ etiam personis, vt supradiximus tenore similiter præsentium tribuimus, et indulgemus. iis vero omnibus et singulis rebus supradictis, de omnipotentis dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Aplorum eius aucte confisi infrascriptas spuales gratias, et indulgentias elargimur.

1. Imprimis quicumq; vnam ex supradictis rebus signatis penes se habuerit, vel veneratus fuerit, et a somno experrectus, vel e lecto surgens deuote dixerit. Benedicta sit sanctissima Trinitas, et ter orationem Dnicam, ac toties salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum recitauerit pro Philippinarum ad fidem catholicam conuersione qui ad dnum orando cum proposito eadie non comittendi peccatum, vel nomen Jesu in honorem Incarnationis, ac vitæ Saluatoris. D. N. Jesu Xpi triginta tribus vicibus nominauerit, vel nouies salutationem Angelicam, et semel Canticum, seu Antiphonam (Salue Regina) in laudem puritatis gloriosissimæ V. Mariæ, aut nouies eandem salutationem et semel orationem Dnicam, vel duodecies dictam Angelicam salutationem, preces ad choros Angelorum conuertendo et semel Symbolum Apostolorum, eosdem Aplos inuocando recitauerit, omniaq; et singula supradicta, aut illorum aliquod pro Indiarum conuersione, ac Sanctæ Matris ecclesiæ exaltatione dixerit, quoties aliquid ex supradictis fecerit, toties vniuscuiusq; indulgentiam et remissionem medietatis omnium peccatorum suorum: quicumq; omnia supradicta vno die simul exequutus fuerit, seu recitauerit eidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in dno concedimus. Decernentes omnia, et singula præmissa, vt vnumquodq; eorum pro animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari possit

2 item quotiescumq; conscientiam suam examinauerit, ac eandem orationem Dnicam et salutationem Angelicam ter recitando cum firmo proposito peccata sua confitendi, vel sacrosancto Missæ sacrificio interfuerit, aut eam celebrauerit, vel Coronam dixerit, aut peccata sua confessus fuerit, aut sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuote sumpserit preces ad deum pro Sedis Aplicæ quiete, tranquilitate, et exaltatione Indiarumq; ad fidem conuersione effundendo, vel in illis diebus in quibus ab ecclesia officium vel comemoratio fieri solet de Saluatore nro, vel Beata Virgine Maria, vel Angelis, aut aliquo Apostolo vel Euangelista, aut Sancta Maria Magdalena missam a se celebrandam deo obtulerit, vel eam audiuerit pro felice statu, et bono regimine prælatorum, et Magistratuum, seu ordinum ecclesiasticorum et aliorum Xpi fidelium Ministrorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, quæ mediantibus rebus supradictis applicari possit pro

3 Vno defuncto, harum serie elargimur — Quicumq; autem locum vbi aliqua ex præfatis crucibus, Numismatibus, seu Imaginibus aut aliis supra specificatis rebus collata fuerint, aliquo die cum deuotione visitauerit, ac eadem die semel coronam pro Xpianorum illarum partium in catholica fide perseuerantia, et constantia recitauerit, pro qualibet vice eas indulgentias etiam plenarias tam pro viuis, quam pro defunctis applicandas, consequatur, quas consequeretur

4 si ecclesias, ac alia loca intus, et extra Mœnia huius almæ Vrbis nostræ existentia, visitaret — Quoties vero septies orationem, et salutationem dictam dixerit pro iis, qui ministerio doctrinæ Xpianæ insistentes in Dno mouiuntur, l, pro eiusdem, seu fidei catholicæ, propagatione, et defensione vitam exponunt, vnam animam ex pœnis purgatorii, deo remittente, liberet, iis vero, qui in articulo mortis nomen Jesu ore, vel corde inuocauerint indulgentiam plenariam concedimus —

5 · deinde quotiescumq; aliqua persona ecclesiastica, vel sæcularis, docendo, gubernando, vel domicilium erigendo, seu habitando, vel nauigationi, auxilium ferendo, aut militando, vel mari, aut alia via pro populorum earumdem partium ad fidem conuersione, aliquid auxilii, et adiumenti conferendo concurrerit, aut ex quacumq; mundi parte ad Insulas Philippinas prædictas accedere, illisq; aliquo ex supradictis modis auxiliari proposuerit, ac pro dicta conuersione, vel vt deus aliquos excitet qui ad opem illis ferendam, co se conferant, exorauerit, et vnam Coronam ea intentione dixerit toties

6 indulgentiam plenariam consequatur — Preterea qui missam celebrauerit, vel eam audiuerit, aut peccata sua confessus, aut sacra comunione refectus fuerit, et pro iis qui actu in defenendis auxiliis prædictis occupantur, ac præsertim pro tua persona orauerit, eidem pro qualibet vice, eam concedimus indulgentiam, quam maluerit ex iis, vel aliis, quæ memoratis personis auxilium, et adiumentum, vt supra præstantibus concessæ sunt,

7 perinde, ac si ipse met in illis partibus pro huiusmodi indulgentia consequenda, necessaria, et requisita præstitisset — Ac etiam quotiescumq; quis aliquam loci, seu Regionis in qua tunc fuerit, ecclesiam visitauerit, ac septies orationem, et salutationem prædictas in honorem sacratissimorum Vulnerum ambrorum pedum, ambarum manuum, capitis, et a tergo, ac lateris Dni nri Jesu Xpi, recitauerit ipsum eas indulgentias consequi volumus quas consequeretur, si aliquam

8 ex ecclesiis illarum partium visitaret — Quoties autem aliquod ex supradictis Numismatibus deperditum, et fractum fuerit, et similiter quoties aliqua